

71. LOTUS BELGRADICA; *foliolis quinatis, cuneiformibus; caule erecto; siliquis calyce sesquolongioribus, solitariis, erectis, glabris.*

DESCR. *Caulis* erectus, pedalis, teres, striatus, villosus. *Folia* sessilia, quinata, vel bijuga cum impari. *Foliola* versus impar gradatim majora, semipollicaria, ovato-oblonga, obtusa cum acumine, subtus villosa. *Pedunculi* solitarii, axillares, erecti, apice umbelliferi. Flores non vidi. *Legumina* oblonga, teretia, mucrone terminata, ferruginea, disperma, non binata; *calyce* persistente, puniceo, villoso, laciniato, pedicellis brevibus. *Semina* globosa, nigra, hilo albo; singulo isthmo distincto.

Ad *Belgrad*, pagum prope *Constantinop.*

72. L. CRETICA; *foliis lanceolatis, fasciculatis.*

Caulis fruticosus. *Folia* quina ad unum latus caulis sessilia, seu fasciculata, lanceolata, ungue breviora. Inter *Semina* *isthmus* tenuissimus; qui forsitan in omnibus Loti speciebus adest, quamvis feminibus maturis hi isthmi exolescant & retrahantur.

Alexandriæ. Arab. *Æsibe.*



SYNGENESIA.

73. SCORZONERA HISPIDA; *foliis linearibus, dentatis, ciliatis; scapis unifloris.*

DESCR. *Folia* radicalia plurima, lineari-lanceolata, dentato-sinuata, pilis rigidis hispida. *Scapi* plures ex una radice, spithamales, pilosi, uno alterove foliolo fetiformi, acuto. *Calyx* hispidus, imbricatus. *Semina* ferruginea; pappo plumoso. *Flores* flavi.

Ad *Estac* prope *Massiliam*; in montibus.

74. SONCHUS OLERACEUS; *foliis basi cordatis, amplexicaulibus, lanceolatis, sinuatis, denticulatis.*

Djöblæ.

75. LACTUCA SINUATA.

DESCR. *Caulis* pedalis; aculeis in dimidio inferiori sparsis, confertis; albis. *Folia* inferiora 4 poll. superiora minora, hastato-lanceolata, sessilia, glabra, integra; ciliata aculeis. In *Lact. saligna* omnia folia, sed in hac majora tantum carina aculeata. *Flores* in racemis ramorum & caulis terminalibus, bracteola flava singulis subiecta. Valde lactescit.

Natoliæ